

dus dioecisana, aut provincialis non possunt in suis constitutionibus aliquid inserere, quod juri communi adversetur et illud corrigat.

46. Hinc potius decisum est ut per literas Romani Pontificis in forma *'Brevis'* fieret intimatio dispositionis Tridentinae, ita nempe ut integra ipsisque verbis dispositio Concilii intimaretur, retineretur tamen et mentio concilii Tridentini, ad evitandum quodcumque scandali periculum.

In eandem sententiam eadem S. Congregatio post novum examen concessit die 20. Martii 1629, et ejus resolutio confirmata est ab Urbano VIII.

Ex qua resolutione sequitur posse utique fieri promulgationem decreti irritantis matrimonia, eam tamen faciendam esse sub nomine Concilii Tridentini, vel per Pontificium decretum, nec valere eandem promulgationem, si decretum proponatur ceu Synodi Dioecisanae, vel Provincialis decretum.

47. Quæritur utrum in locis in quibus promulgatum est decretum Tridentinum possit matrimonium *aliquando* valide celebrari, quin forma decreti servetur.

Quæstio hæc resoluta fuit a S. Congregatione Concilii, et a Pio VI<sup>o</sup>. per literas Apostolicas diei 22. Aprilis ann. 1793, occasione civilis perturbationis in Gallia, et responsum est valere hæc matrimonia, contracta coram testibus, sed absque præsentia Parochi, quando communis et publica impossibilitas impediatur, quominus contrahentes Parochum adire possint.

Faciunt etiam ad rem Literæ Apostolicæ in forma *Brevis* ejusdem Pontificis, ad Episcopum Genevensensem datæ die 5. Sept. a. 1795.

Hoc enim in casu periculo generali, cui innixum est Tridentinum decretum, opponi potest bonum publicum, cui adversaretur lex irritans Tridentina, si valeret et obligaret.

Quare si impotentia adeundi Parochum non afficiat unum vel alterum casum particularem sed ipsam societatem, ex. gr. ob publicam rerum perturbationem, et præsertim ob religiosam persecutionem communem, dicendum est valere matrimonium contractum absque plena formæ Tridentinae observantia.

48. Quod si impotentia adeundi Parochum sit personalis non valet matrimonium absque ejus præsentia contractum, quia lex irritans contractum non cessat ob incommodum privatum. Id est ratio personalis incommodi vel periculi non potest habilem facere

illum quem ipsa lex inhabilem reddidit. Lex enim ceu norma generalis præscindit a peculiaribus singularium personarum adjunctis.

49. Quæritur quid sit dicendum de matrimonio contracto juxta formam legum civilium.

Inter christianos non datur matrimonium legitimum et verum, quod non sit eodem tempore sacramentum. Potestas igitur civilis auctoritate propria nequit formam substantialem contractus conjugalis decernere. Ipsa enim neque potest materiam aptam sacramento præparare neque potest legitimum reddere contractum præscindendo a ratione sacramenti.

50. Verum Ecclesia antiquitus ratam habuit formam clandestinam contractus matrimonialis. Hinc absolute loquendo posset agnoscere uti validam formam civilem, coram officiali civili, quare forma civilis matrimonii posset legitima fieri, si ab Ecclesia recognosceretur. Ecclesia autem nondum ratam habuit formam civilem contrahendi matrimonium.

51. Ratio autem præcipua est duplex; 1<sup>o</sup>. quia potestas civilis constituit impedimenta dirimentia, quæ ab Ecclesia recognita non fuerunt, et e contra nonnulla non admisit impedimenta, quæ ab Ecclesia statuta sunt. Quare nonnullæ personæ habitæ sunt habiles juxta leges civiles, quæ inhabiles erant juxta leges Ecclesiasticas et viceversa. Unde Ecclesia non potest recipere matrimonia civilia.

2<sup>o</sup>. Quia leges civiles propriæ formæ solummodo sollicitæ fuerunt, ita ut negligentes prorsus formam Ecclesiasticam statuerint, nullius esse valoris matrimonium, quod contraheretur non servata forma civili: Quare concludendum est, matrimonium civile, utpote ab Ecclesia non recognitum, non esse verum inter Christianos matrimonium, sed esse meram cærimoniam civilem.

52. Quæritur quomodo sese gerere debeat fidelis in locis ubi legislatio civilis matrimonia mere civilia præcipiat.

Tractatur hæc quæstio a Ben. XIV. in Epistola scripta Paulo Simoni a S. Josepho, Carmelitæ, Missionario in regionibus fœderatis Belgii et Hollandiæ, die 17. Septembris 1746 quæque incipit *'Redditæ sunt'*. In hac Epistola declarat Benedictus in locis in quibus promulgatum est concilium Tridentinum, posse tolerari, ut fideles consensum mutuum expriment coram magistratu, seu officiali civili, dummodo tamen iidem fideles considerent matrimonium civile, ceu meram civilem cærimoniam, seu actum mere politicum,

quo suum obsequium ostendant erga leges et instituta Principum, nec verum legitimumque contrahere matrimonium credant. Quare consuetudo conjugalitatis si quæ sequatur, gravi culpa non caret, et si proles enascatur, ea est coram Deo illegitima, nisi conjuges in facie Ecclesiæ consensum renovaverint. Hinc inculcat Pontifex, ut quo fieri possit, post civilem cæremoniam, evitetur nimia familiaritas inter conjuges ante celebrationem matrimonii Ecclesiastici.

53. Ut vero periculum concubinitatis absit, vel saltem suspectæ conversationis, proponit Pontifex ceu optimum factum, ut Catholici non accedant ad civilem cæremoniam explendam, nisi antea jam celebraverint matrimonium in facie Ecclesiæ. Quod si lex civilis prohiberet, quominus prius Ecclesiasticum seu verum matrimonium celebraretur, quam civile, licet hæc lex civilis nimis dura esset, tamen ad vitanda mala majora posset tolerari. Verum inculcandum esset fidelibus, ne diu differrent celebrationem matrimonii sacri in facie Ecclesiæ, et interim ne se invicem tractarent, tamquam virum et uxorem.

54. Quid vero dicendum de officialibus qui matrimonio civili ex officio assistunt?

Præmitto de officialibus non agi in literis Ben. XIV. *'Redditæ sunt Nobis'*.

Profecto cum ipsi officiales repræsentent ipsum Legislatorem, et tueantur facto suo legem, juxta quam unice validum est matrimonium civiliter contractum, et per consequens nonnulla matrimonia vera uti invalida habentur et viceversa; viderentur officiales a gravi culpa excusari non posse. Verum ob longanimitatem S. Sedis ad vitanda majora mala tolerat ut isti officiales assistentiam suam præstent civilibus matrimoniis; nam si passa est celebrari matrimonia civilia, eo ipso debet permittere ut officiales actui civili assisterent. Ut vero culpam evitent, officiales hujusmodi debent etiam ipsi considerare matrimonium civile ceu nudam cæremoniam civilem, non vero ceu verum et legitimum matrimonium, et nihil peragant aut suadeant contra sanctitatem matrimonii, et necessitatem illud contrahendi coram Ecclesia. Et hoc in sensu S. Pœnitentiaria respondit die 15. Decembris ann. 1865 Episcopis Provinciarum Taurinensis, Vercellensis et Januensis.

55. Quid vero si fideles non possint ob impedimentum contrahere matrimonium christianum in forma Tridentini, habiles vero

sunt ad contrahendum matrimonium civile, vel ex mala animi dispositione, prævideantur matrimonium coram Ecclesia contracturos non fore? Poteritne officialis operam suam præstare in matrimonii civili celebratione?

Omittimus hypothesim publici scandali, quod ex assistentia officialis posset in populo derivare, quo in casu solutio quæstionis penderet a qualitate scandali, quod vitandum esset.

56. Restringimus hypothesim et cooperationem quam secluso etiam scandalo habere potest officialis in illicita celebratione contractus civilis, et in effectibus malis, qui inde sequuntur. Hæc cooperatio per se mala est et reprehensibilis; ex lege enim charitatis nemo potest facto suo concurrere in malum proximi sui.

Verum ex natura legis charitatis, quæ in genere non obligat cum gravi præjudicio proprio, malitia cooperationis potest attenuari, imo etiam tolli, si officiali præsto sint validæ rationes, ad assistentiam et operam suam exhibendam simulque pro parte sua studeat, evitare malum proximi sui. Gravis autem ratio ad præstandam assistentiam esset debitum officii sui, et periculum amittendi officium ipsum, quoties renueret cæremoniæ matrimoniali adesse.

57. Satis autem officialis studebit evitare peccatum contrahentium si eosdem prudenter et caute admoneat, eorum matrimonium esse solum cæremoniam civilem, et nihil prorsus valere, coram Ecclesia, immo ab eadem interdicti, ob impedimentum, quo ipsi contrahentes ligantur.

58. Porro circa onus admonendi contrahentes, animadvertunt, distinguendum esse inter impedimentum notorium quod facile cognosci et demonstrari possit, et occultum vel dubium impedimentum, quod illico non cognoscitur. Officialis enim civilis non tenetur inquirere utrum contrahentes ligentur impedimento Ecclesiastico, sed solum pro ratione sui officii debet videre utrum verificetur habitus civilis. Hinc non tenetur inquirere ex. gr. utrum contrahentes sint in tertio vel quarto gradu affinitatis.

Quare merito tradunt doctores, onus admonendi contrahentes urgere officiales solummodo in casu impedimenti notorii, quod facile dignosci et facile ipsis contrahentibus posset declarari, non autem in casu impedimenti occulti, quod specialem exposcit inquisitionem ut cognoscatur nec facile contrahentibus demonstrari potest.

59. Quæritur an lex Tridentina inducens impedimentum clandestinitatis, obliget etiam acatholicos.

Plures auctores negativam sententiam propugnant:

1<sup>o</sup>. Quia Ecclesia non præsumitur voluisse tot matrimonia esse invalida. 2<sup>o</sup>. Quia ipsum Concilium Tridentinum, requirens publicationem decreti sui, in qualibet Parœcia perficiendam, satis indicavit se nolle sub lege comprehendere acatholicos, qui certe non essent publicaturi decretum Concilii.

60. Verum contraria sententia tenenda esse videtur. Nam Concilium Tridentinum legem generalem tulit, quæ abolevit matrimonia clandestina nec ullam distinctionem fecit inter catholicos et hæreticos, sed absolute edixit, 'qui aliter quam præsentate Parocho' etc.

Cui rationi accedit etiam alia, quæ infertur ex periculo generali malorum effectuum matrimonii clandestini, quod commune est catholicis et acatholicis.

61. Rationes autem contrariæ sententiæ non valent. Non prima quia præsumptio non datur contra legem latam, absque ulla limitatione, et claris verbis expressam.

Non valet secunda ratio quia specialis modus publicationis solummodo indicat, Patres Tridentinos voluisse ut quo fieri possit removeretur periculum ignorantiae, ne aliquis posset sese excusare, et eximere ab observantia decreti ex prætextu ignorantiae dispositionis concilii.

62. In rei autem confirmationem adduci potest declaratio seu Instructio, super dubiis respicientibus matrimonia hæreticorum vel mixta in Hollandia et Belgio contracta, vel contrahenda quæ declaratio seu instructio data est a Bened. XIV. die 4. Novembris 1741. Cum enim incerta esset disciplina in statibus fœderatis Hollandiæ et Belgii, proposita est quæstio Clementi XII. et quæsitum est quid esset sentiendum de matrimoniis hæreticorum, et de matrimoniis mixtis contractis, vel contrahendis in illis regionibus, non servata forma Tridentini Concilii.

Clemens viam universæ carnis ingressus est antequam quæstio resolveretur.

Benedictus XIV. successor ejus, longo præhabito examine, declaravit et statuit matrimonia sive contracta sive contrahenda, in dominio ordinum fœderatorum Belgii valida esse, dummodo aliquod impedimentum canonicum non obstaret. At hæc declaratio seu melius hæc constitutio Benedicti, veluti *ex motu proprio* lata

innititur singularibus et exclusivis rationibus, quæ communes non sunt hæreticis aliorum locorum.

63. Rationes hujusmodi describuntur in relatione cardinalis de Alsatia Archiepiscopi Mechliniensis. Præcipua autem est ratio, quia dubitari poterat utrum revera publicatum fuisset Concilium Tridentinum, in illis regionibus. Nam dum graves doctores referebant fuisse factam publicationem decreti, alii autem denegabant. Qui autem affirmabant factum publicationis decreti, omnes extranei erant a natione Belgica, et videbantur ita sentire, quia constabat Philippum II<sup>m</sup>. Regem Hispaniarum, sæpius jussisse ut publicatio Concilii Tridentini fieret. Pariter constabat ter aut quater revera locum habuisse conatus promulgationis.

At e converso notum erat, quodammodo impossibilem fuisse generalem publicationem decreti Tridentini, in singulis Parœciis, quia eo tempore magna exarsit perturbatio religiosa ex facto insurgentium hæreticorum qui furore omnia implebant, et plures assecclas ad se pertrahebant. Insuper eo tempore quo facta asserebatur publicatio, hæretici non vagabantur inter catholicos, sed jam in sectas proprie dictas coaluerant, et proinde dubitari poterat, utrum publicatio decreti in Parœciis catholicis obligaret etiam societates hæreticorum.

Præsumptioni autem non factæ generalis publicationis decreti, etiam relate ad hæreticos accedebat inobservantia decreti, quia constabat etiam ab initio non fuisse usu receptum decretum Tridentinum quoad hæreticos. Nam matrimonia hæreticorum contracta absque observantia formæ Tridentinæ, habita fuerant ceu rata et valida, ita ut conjuges ad fidem conversi, non solerent obligari ad novum consensum præstandum coram Ecclesia.

Quibus omnibus perpensis, merito Benedictus XIV. ad vitanda mala, quæ ex conditione regionis illius derivabant ex matrimoniis dubiis et incertis, in decretali Epistola, quæ incipit '*Matrimonia*' data die 4. Novembris 1741 declaravit et constituit matrimonia hæreticorum et matrimonia mixta, uti valida habenda esse.

64. Hæc autem declaratio seu instructio facta ob singulares rationes statuum fœderatorum Hollandiæ et Belgii, ad illas regiones solummodo coarctata est. Quemadmodum adnotatur in fine instructionis ipsius. Ex qua speciali indole et limitatione Benedictinæ dispositionis infertur argumentum pro nostra sententia. Si enim dictum est a Benedicto XIV. legem Tridentinam non urgere hæ-

reticos Hollandiæ et Belgii ob singulares rationes et si hæc declaratio ad illas solum regiones coarctata est, implicite dictum est in genere hæreticos obligari a lege Tridentina, quando ea fuerit publicata.

Ex quibus omnibus eruitur potiora esse argumenta, quæ militant pro nullitate matrimoniorum ab hæreticis contractorum, non observata Tridentina forma, quam ea quæ valorem eorundem adstruunt.

Et proinde dici potest in genere hæreticos teneri lege Tridentina in locis in quibus ejus publicatio facta fuerit, nisi ex Apostolica concessione, ad hæc eadem loca extensa fuerit Benedictina declaratio.

65. Doctores instituunt specialem quæstionem de hæreticis coalescentibus in societatem publicam et recognitam a civili Gubernio, quæ in aliquo loco vel coexistat cum societate catholica vel subintraverit in locum præexistentis catholice societatis.

66. Profecto in utraque hypothesis valida adsunt argumenta, quæ videntur eximere hæreticos ab observantia legis Tridentinæ. Nam aliud est loqui de individuis in aliena societate commorantibus, aliud est loqui de aliqua societate separata et distincta, quæ habet suas leges, suas consuetudines, et propriam vivendi agendique rationem. Etenim leges licet dicantur territoriales idest loca directe respiciant, et non individua, tamen revera ipsam societatem respiciunt, in aliquo loco existentem. Hinc si in aliquo nova societas inducatur, et vetus destruat vel recedat, nova societas regitur legibus propriis, nec tenetur legibus societatis quæ cessavit.

67. Unde cum Tridentinum Concilium voluit, ut suum decretum publicaretur in singulis Parœciis catholicis, per hanc dispositionem satis indicavit legem suam obligare societatem fidelium, in qua publicatio fieret, non obligare autem alias societates, in quibus non publicaretur decretum; scilicet insinuavit Tridentinum non valere suum decretum nisi reciperetur in particularibus societatibus fidelium prout sunt Parœciæ. Hinc quoniam societas hæreticorum constituta et recognita non recepit nec publicavit decretum Tridentinum, satis validum videtur argumentum adesse ut hæretici coalescentes in publicam societatem, eximantur a lege Tridentina quoad formam substantialem contractus conjugalis.

Ceterum hæc obiter dicta sint, nec intendimus positive opinionem expositam propugnare, sed potius prudens consilium arbitra-

mur esse, de hac quæstione expectare, si quod fuerit, ipsius Ecclesiæ judicium.

Hæc dicta sint de extensione decreti Tridentini. Nunc ut sensus decreti determinetur, videndum est quinam sit Parochus proprius.

#### De Parocho proprio in matrimonio.

68. Parochus proprius alicujus fidelis potest esse 1º. ille in cujus Parœcia quis baptizatus est, et dicitur *Parochus originis*; 2º. ille in cujus Parœcia quis habet domicilium vel quasi domicilium; 3º. ille in cujus parochia quis forte commoratur vel simpliciter reperitur ob causam prorsus accidentalem et precariam ex. gr. ob causam rusticandi, vel ob rei familiaris negotium gerendum.

Quinam horum erit proprius Parochus ad valide contrahendum matrimonium?

Hanc quæstionem præ aliis pertractat Benedictus XIV. in *Institut. Ecclesiast. 33. nn. 6. seqq.* et principii loco statuit; non attendi originem ad determinandum Parochum proprium, ratione matrimonii contrahendi. Nam Concilium Tridentinum in matrimoniali contractu induxit formam substantialem ut a Parocho cognoscerentur contrahentes et evitaretur periculum contrahendi novas nuptias, prioribus adhuc existentibus.

69. Jam vero Parochus proprius ratione solius *originis* non præsumitur cognoscere personas fidelium, qui licet nati in ejus Parœcia, modo tamen alibi commorantur.

Accedit ratio: nam in jure origo personæ in relatione ad auctoritatem Ecclesiasticam non attenditur, nisi expresse in hac re caveatur, quemadmodum verificatur quoad sacram ordinationem.

70. Hinc in contractu matrimonii, ut habeatur Parochus proprius, attendi debet *Parochus domicilii*. Nam Parochus proprius in jure ille est, a quo quis recipit sacramenta, in cujus jurisdictione quis jura habet parochialia, et cui quis solvit onera.

Hinc Parochus proprius simpliciter appellatus, ille in jure dicitur, in cujus Parœcia quis commoratur. Et ita declarasse sacram Congr. Concilii refert Benedictus XIV. in cit. *Institut. 33.*

71. Quoniam vero duo sunt contrahentes qui possunt pertinere ad diversas Parœcias, quæritur coram quo Parocho contractus matrimonialis perfici debeat.